

# OVATIONES

ADAM BLISTEIN

Nutritus in urbe quondam “alveo industriae” appellata, hic vir, pietate gravis ac meritis, diu occupavit media praesepia opere ferventia, et insigniter exercuit apes laborantes.<sup>1</sup> Adeptus est gradum Baccalaurei Artium apud universitatem quae nomen de caprorum vado in lingua Cambriana deducit, gradumque Doctoris Philosophiae apud universitatem ubi canis molossus celebratur.<sup>2</sup> Ibi Graecis litteris strenuissime animum adhibuit, scrutatus scripta poetae comici operam dantis nubibus ranisque, vespis avibusque. Plus tribus lustris, in urbe fraterno amore pleno, servivit societati studiosae mortiferi morbid investigandi; tum se consecravit ad societatem gubernandam, in patria nostra vicinaque terra ad septentrionem versa, studiosissimam linguarum litterarumque Graecarum Romanarumque. Non solum dixit de ducibus officiisque societatis doctae sed etiam decem annos collegas duxit factis exemploque. Plaudamus igitur Adam Blistein.

*University of Maryland, College Park  
Classical World 103.4 (2010)*

ERICA CARLSON  
HEATHER DAY  
ASHISH GEORGE  
ERIK MAGINNES  
ERNEST WATFORD  
and JUDITH P. HALLETT

---

<sup>1</sup> Verg., *Aen.* 1.151: *pietate gravem ac meritis*; 430–432: *qualis apes aestate nova per florea rura/exercet sub sole labor, cum gentes adultos/educunt fetus* and 435–436: *(ignavum fucos pecus a praesepibus arcent; /fervet opus. . . .*

<sup>2</sup> Haverford means goats’ crossing in Welsh; Cole Porter ’13 immortalized Yale’s canine mascot in the fight song “Bulldog Bulldog bow wow wow.”

LARISSA BONFANTE

Tyrrhena regum progenies,<sup>1</sup> verba vestesque Tuscae gentis, fabulae matrimonique nationis Lydiae, corpus speculorum Etruscorum—omnes res Etruscae, ab vita viventium ad vivos post mortem, ab hac praestantissima doctissimaque sunt investigatae atque illustratae. In Italia orta, a pueritia amplexa Hesperiam, adepta est gradum Baccalaureae Artium apud universitatem sequentem viam rationis<sup>2</sup> et gradum Magistrae Artium apud universitatem commemorantem Romanum probissimum, qui reliquit aratrum ad rem publicam servandam. Priusquam adepta est gradum Doctoris Philosophiae apud universitatem in cuius lumine lumen videbimus,<sup>3</sup> incepit docere apud aliam universitatem, perstantem et praestantem, quam servavit diligenter et strenue nova lustra.<sup>4</sup>

Multas societates docendi et atria discendi ornavit, quae eam coluerunt. Apud Academiam eius novae patriae in urbe aeterna natalique terra erat praeceptor praelectorque. Institutum conditum antiquarum terrarum effodiendarum

---

<sup>1</sup> Hor. *Odes* 3.29.1: *Tyrrhena regum progenies*, “offspring of Etruscan kings.”

<sup>2</sup> Motto of Barnard College (in Greek): *Hepomene toi logismoi*, “following the way of reason.”

<sup>3</sup> Motto of Columbia University: *In lumine tuo videbimus lumen*, “In your light we will see the light.”

<sup>4</sup> Motto of New York University: *Perstare et praestare*, “To persevere and to excel.”

causa suum aurum insigne nuper ei tribuit. Ipsa condidit et edit scripta nuntiantia acta diurna Societatis Studiorum Etruscorum Italarumque; ipsa scripsit complures libros et libellos, interdum cum carissimo patre beatae memoriae—de Etruria, Italia et Cypro; de feminis et rebus sexualibus; de antiquis corporibus vestitis et nudis; de barbaris Europae antiquae temporisque antiqui operibus. Plaudamus stellam disciplinae nostrae, splendorem vitro,<sup>5</sup> Larissa Bonfante.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 103.4 (2010)

JUDITH P. HALLETT

---

<sup>5</sup> Hor. *Odes* 3.13.1: *O fons Bandusiae, splendidior vitro*, “O spring of Bandusia, more sparkling than glass.”

JUDITH PELLER HALLETT

Multas per gentes et multa per aequora vecta,<sup>1</sup>  
O—quam te memorem, dea?<sup>2</sup>—vel volans croceis per  
Caelum roscida pinnis,<sup>3</sup> sive reliqueris amnes  
Virginiae lutulentos, sive cacumina Montis  
Alcis,<sup>4</sup> res nostras afflictas restituebas.  
Fortunas emendavisti colloquiorum,  
Saepe magistris et sociis aere auxiliata es,  
Et quotiens referunt fluctus nos in mare saevi,  
Vi ingenioque tuo navis portum occupat aequa.<sup>5</sup>  
Grati igitur, Judith, plaudamus perpetuo te.  
Ante diem vii Idus Octobres  
Anno MMDCCLXII ab Urbe Condita.

*New York City*  
*Classical World* 103.4 (2010)

DAVID J. MURPHY

---

<sup>1</sup> See Catul. 101.1

<sup>2</sup> See Verg. *Aen.* 1.327.

<sup>3</sup> See Aeneid 4.700.

<sup>4</sup> The Elk Mountains are a range in Colorado that includes Aspen Mountain.

<sup>5</sup> See Hor., *Carm.* 1.14.1–2. The author thanks Ronnie Ancona for her comments on an earlier draft of this poem.

## LEE T. PEARCY

Hoc, collegae praestantissimo, quod potuimus, confectum et carmine et oratione soluta munus, pro multis redditur officiiis.<sup>1</sup> Filius civitatis clarae propter viatores et praesidem musicae studiosum, alumnus academiae illustris quae duos praesides belli studiosos nutrit, gradus et Baccalaurei et Magistri Artium apud universitatem perennem, hedera cinctam, in urbe meritis superba regalique situ conditam adeptus est.<sup>2</sup> Adeptus gradum Philosophiae Doctoris apud universitatem erudiendis feminis eruditus insignem, in umbra tintinnabuli Libertatis, ipse erudit discipulos discipulasque linguarum antiquarum, antiquorum Graecorum Romanorumque apud universitatesque academiasque.

Nuperrime diutissimeque servivit academiam magni momenti existimationisque meritae: ut praeceptor studiorum classicorum, Magister eximius in studiis classicis, et curator cursus discendi. Composuit multa opera, docta et laboriosa,<sup>3</sup> de multis rebus: poetis Graecis et Latinis, scriptoribus medicis antiquis, coniunctionibus inter auctores classicae antiquitatis temporumque posterorum. In libro pleno scientiae cogitationisque splendide illuminavit regulas, quasi rerum grammaticarum principia, quae nostros mores humaniores et civicos moderatae sunt.

Prudenter, ut praeses, duxit societatem nostram; sapienter, ut lector litteratus, edidit vocem societatis nostrae promulgantem nova scripta; patienter, ut praefectus educandi, societatem philologicam patriae nostrae corroboravit. Plaudamus igitur iustum et tenacem propositi virum,<sup>4</sup> Lee T. Pearcy.

University of Maryland, College Park  
Classical World 103.4 (2010)

JUDITH P. HALLETT

<sup>1</sup> Catul. 68.149–150: *Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus/pro multis, Alli, redditur officiiis*, “This gift, which I have composed to the best of my ability, expounded in poetry, is awarded to you, Allius, in recompense for your many services.”

<sup>2</sup> Hor. *Odes* 3.30.1–2: *Exegi monumentum aere perennius/regalique situ. . . /14–16 [Sume] superbiam/quaesitam meritis et mihi Delphica/lauro cinge. . . .* “I have constructed a monument more enduring than bronze on a kingly site . . . Adopt pride sought by achievements and garland me with Delphic laurel.”

<sup>3</sup> Catul. 1. 5–6: *omne aevum tribus explicare chartis/doctis, Iuppiter, et laboriosis*, “[you dared] to unfold an entire era in three book rolls, learned and testimony to hard work.”

<sup>4</sup> Hor. *Odes* 3.3.1: *Iustum et tenacem propositi virum*, “a man who is fair and fiercely committed to principle.”

## ANN RAI A

Honoramus feminam egregiam quae colenda causa artium aluit scientiam.<sup>1</sup> Olim praeses, semper praesidium columnaque huius societatis, iura dedit legesque viris et feminis eius, operumque laborem partibus aequavit iustis.<sup>2</sup> Atavis Italicis edita,<sup>3</sup> suboles indigena Capitis Novi Mundi, alumna academiae praeclarae cui est cura futuri,<sup>4</sup> admissa est ad gradum Baccalaureae Artium apud universitatem cuius discipuli discipulaeque didicerunt ut servirent.<sup>5</sup> Adepta gradum Doctoris

<sup>1</sup> *Causa artium alit scientiam*, Latin motto of CAAS, derived from its acronym.

<sup>2</sup> Ver. *Aen.* 1.507–508: *iura dabat legesque viris, operumque laborem/partibus aequabat iustis*.

<sup>3</sup> Hor. *Odes* 1.1.1: *Maecenas atavis edite regibus*.

<sup>4</sup> Motto of Hunter College High School: *Mihi Cura Futuri*.

<sup>5</sup> Motto of Queens College, City University of New York: *Discimus ut Serviamus*.

Philosophiae apud universitatem sapientia et doctrina insignem,<sup>6</sup> multos annos universitati serviendo<sup>7</sup> insignissimae tempus ingeniumque dotesque liberaliter dedit: praecipiens linguas antiquas; administrans studia honorifica; ducens, cum coniuge carissimo, peregrinationes per multas gentes multaue aequora.<sup>8</sup> Confirmavit doctrinam eruditionemque de feminis antiquis Romanis, in urbe et imperio, per scripta interretialiaque opera. Conformavit quoque societatem nostram, quo nobis omnibus melius serviat. Plaudamus igitur Ann Raia.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 103.4 (2010)

ELLIOT BERNSTEIN  
 LAUREN HOFFMAN  
 LAURA MESSENHEIMER  
 JOSE ORTIZ  
 KATE PILKINGTON  
 JAMES RODKEY  
 ALAN VOLLMANN  
 and JUDITH P. HALLETT

---

<sup>6</sup> Motto of Fordham University: *Sapientia et Doctrina*.

<sup>7</sup> Motto of the College of New Rochelle: *Serviam*.

<sup>8</sup> Catul. 101.1: *multas per gentes et multa per aequora vectus*.